



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 1. Distinctio inter materiam sensibilem & insensibilem non probat
intentum Appendicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

fitatem dubiam materiam assumere. Adeò ut quamvis eorum plurimi probabili-
 um usum multùm laxaverint, commu-
 niter tamen Sacramentorum usum ex-
 ceperint,

§. I.

*Distinctio inter materiam sensibilem & insensi-
 bilem non probat intentum Appendicis.*

Verùm convellere istud conatur
 Appendix, & distinctione aliquâ
 infringere. *Stante dubio, ait num. 270. de
 materia Sacramenti quando sensibilis est, non po-
 test administrari Sacramentum; concedo: quando
 materia non est sensibilis, sed interna seu moralis,
 nego.*

Sed quo fundamento nixus? Sic enim
 id negat, ut è contra materiam non sensi-
 bilem, sed internam seu moralem etiam
 dubiam, etiam sine necessitate in Sacra-
 mentorum administratione licitè velit
 assumi. Hoc novum est, hoc probet se
 rectè asserere, Sacrilegum crimen est si
 liquore, qui an aqua sit ambigis, quem-
 piam baptizes, & non aliquâ compulsus
 necessitate periculo nullum conficiendi
 Sacramentum te objicis; & rectè factum
 reputabitur, si id facias dum Sacramen-

M tum

tum Pœnitentiæ ministras ? Paradoxum istud ut credatur , non asseri debet , sed probari. Certè universaliter nullâ distinctione adhibitâ Scholastici & Morales Doctores peccatum mortale esse pronuntiant , citra necessitatem in conficiendis Sacramentis uti materiâ aut formâ dubiâ. Cur inde nunc materia non sensibilis sed interna seu moralis excipitur ? An hujus dubiæ usu periculo nullitatis Sacramentum minùs exponitur ? Si id dici non potest ; cur illâ dubiâ uti negatur illicitum , cum ob id , dum materia sensibilis est , hâc dubiâ uti sit illicitum , quòd Sacramentorum religioni contrarium sit citra necessitatem periculo non conficiendi Sacramenti sese exponere ?

Subdistinguit inferiùs Appendix dubium in dubium juris & facti. De illo quid sentiat , clarè non exprimit. Vult enim juris dubium esse V. G. an requiratur Attritio ex charitate vel sine charitate , *Tunc cum Attritio , inquit , cum charitate sit materia certa , & sine charitate solùm probabilis & dubia , sequitur ex doctrina hujus Auctoris contra decretum Alexandri VII. quòd hâc Minister contentus esse non possit.* An id contra decretum Alexandri VII. sit , sequenti capite examinabitur : nunc quoniam id
affir-

affirmat, solùm peto : an ergo in Pænitentiæ Sacramento, cujus quasi materia sunt actus ipsius pænitentis, sufficere existimet, etiam nullâ urgente necessitate, uti materiâ ex qua ipsius Sacramenti pendet subsistentia, dubio juris ambigua? Hoc si putat, nullo aut fallaci fundamento nititur, Sed hoc relinquamus.

§. II.

Distinctio inter dubium juris & dubium facti nihil facit ad hanc rem.

CLariùs mentem suam exprimit, dum dubium est facti: *Si est questio facti, inquit, V. G. an pænitens jam de facto habeat veram attritionem, tunc minister debet esse contentus materiâ probabili, nimirum protestatione pænitentis, quia in hac certa haberi non potest.* Hæc imprimis distinctio non attenditur dum materia sensibilis est. Hanc enim sive juris sive facti dubio ambigam ad Sacramentorum confectio- nem citra necessitatem assumere generaliter est illicitum; ergo & dum illa non sensibilis est, sed interna seu moralis: non enim unum Sacramentum licet & alterum non licet, necessitate seclusâ, nullitatis periculo exponere. Non minus au-